

singulae naturae per se, etiam in unione suis proprietatibus distinctae, citra ullam aliam communicationem. Et quae alia sunt loca ibi plura collecta, quibus multa alia adjungi possent ex recentioribus. Nec aliter BEZA in Colloquio Mompelg. p. 247. Si per Communicationem unio intelligatur, concedo, non modo omnipotentiam, sed etiam reliqua attributa Deitatis H. N. communicata esse. Quia enim N. H. est unita cum divina, & Deus & homo sunt una persona, ideo etiam cum omnipotentia est unita, quae a Deitate separari non potest. Cui D. JACOBVS graviter respondet: Plurimum inter se differt unio naturarum & proprietatum communicatio. Nam haec est unionis naturarum quasi effectus & consequens. Quare et si tempore simul sunt, ratione tamen ordinis naturae habent se, sicut prius & posterius. Quapropter sicut naturarum unio non est nuda & simplex unio, sed vera & realis communicatio, qua divina dat, & humana accipit: ita communicatio proprietatum non est talis unio, qua naturae nihil sibi invicem priorum suorum communicent, sed etiam vera & realis communicatio, qua Λόγος se ipsum & omnia suae assumtae naturae communicavit. Quis igitur dubitet, sponte Reformatos pedibus in eam sententiam ituros: Communicationem NIHIL ALIVD esse, quam meram conjunctionem & naturarum, & idiomatum in una persona? Si enim Ecclesia nostra ipsis hoc concederet, obtinerent, quod intra tam multos annos frustra quæsiverunt. Videamus vero, ne amittamus, quae multo labore & opera acquisivimus, sed aliquando plenam mercedem reportemus! 2. Joh. v. VIII.

§. IX. Notamus V. Reformatos hac ratione omnino re ipsa nobiscum neutquam consentire, neque dici posse, quod non ita sint jejuni, ut doctrinam nostram de communicatione idiomatum κατὰ συνδύασιν sollicitent. Cum enim jam pateat, quod συνδύασιν & ἐνώπιον personalem, & non aliam quamcunque, hic indigemus, quod statuamus, prout res ipsa requirit, συνδύασιν illam personalem non esse nudam aliquam conjunctionem, sed inferre realem participationem, quod majestica dona realiter ad huma-

G

nam